

haec idea aut immediate obiectum attingit, et tunc nulla est ratio, cur non etiam aliae ideae obiectum immediate repraesentent; aut obiectum non immediate refert, et tunc ipsa quoque indiget criterio veritatis, et ita in infinitum procedendum esset, quod impossibile est et destrueret omnem certitudinem.<sup>1)</sup> Ergo nunquam aderit criterium veritatis obiectivae, nisi obiectum primum cognitionis est ipsa res, non species intelligibilis.

Neve dicas, nos cognitione reflexa vel mediata posse concludere, res extra nos existere, ex earum effectibus in sensibus nostris productis; nam 1<sup>o</sup> cognitio reflexa supponit directam et mediata immediatam, ita ut illa nil possit statuere, quod non iam implicite in cognitione directa vel immediata latebat. 2<sup>o</sup> Conclusio vi principii causalitatis fieret. Iam vero tunc iam supponitur, principium causalitatis habere obiectivum valorem ac proinde vel committitur petitio principii, vel conceditur, nos attingere immediate causalitatem obiectivam, ne in infinitum recurrendum sit. 3<sup>o</sup> Etiam si principium causalitatis admitteretur, non tamen possemus concludere nisi aliquam

<sup>1)</sup> Quod fatetur Höfding, professor philosophiae in Kopenhagen, apud nos quoque a multis laudatus, l. c. p. 274: „Wir empfinden nicht die Dinge, sondern unsere Empfindungen entsprechen dem Zustand, in welchen unser Hirn gerät, wenn sich Wirkungen von dem Gegenstand nach demselben fortpflanzen . . . Wir können Berkeley, Fichte, St. Mill nicht direkt widerlegen, wenn sie lehren, das Nicht-Ich, der Inbegriff aller Schranken unseres Handelns und aller Objekte unserer Erkenntnis, sei ein Produkt einer uns selbst unbewussten Tätigkeit des Geistes. Wir können . . . nicht wissen, ob nicht das Leben ein Traum, ein grosser, zusammenhängender und konsequenter Traum ist . . . Was dieses X ist, das kann keine Erfahrung sagen, jede Antwort auf diese Frage ist eine metaphysische Hypothese.“ Similiter M. Verworn, physiologiae professor Göttingensis: „Analysieren wir nur, was wir von der Körperwelt wissen! Das Resultat ist für manchen verblüffend. Ich nehme einen Stein in die Hand. Was weiss ich von ihm? Er ist schwer — das ist eine Empfindung; er ist kalt — auch eine Empfindung; er ist schwarz — eine Empfindung; er hat eine Form — ein Komplex von Empfindungen; er fällt und bewegt sich — auch ein Komplex von Empfindungen. Kurz, was ich Stein nenne, ist nur eine bestimmte Kombination von Empfindungen. Dasselbe gilt für jeden Körper, auch für meinen eigenen, auch für den Körper anderer Menschen. Die ganze Körperwelt baut sich nur . . . aus psychischen Bestandteilen auf. Der Gegensatz zwischen Körperwelt und Psyche existiert also in Wirklichkeit gar nicht, denn die ganze Körperwelt ist nur Inhalt der Psyche . . . Für eine ganz vorurteilsfreie Betrachtung besteht in Wirklichkeit von vornherein ein Psychomonismus.“ (Naturwissenschaft u. Weltanschauung, die neue Rundschau, Berlin, 1904, p. 641 sq. — Porro Paulsen, notissimus ille philosophiae professor Berolinensis: „Ein Körper . . . ist ein subjektives Gebilde, das auf Grund irgend welcher Erregungen von unserer Intelligenz hervorgebracht wird. Wir haben mindestens keinen Grund, zu behaupten, dass ein unserer Vorstellung von einem Körper ähnliches Etwas auch ausser unserer Vorstellung vorhanden sei“ (Einleitung in die Philosophie, 1901, p. 374). — Neque Wundt, celeberrimus professor philosophiae Lipsiensis, hanc sententiam satis evitare videtur; cfr. System d. Philosophie, 1897<sup>2</sup>, p. 111. Alia testimonia vide Al. Schmid, Erkenntnistheorie, I, 175 sq.

causam in genere adesse, non vero, quae sit haec causa in specie, nisi iam aliquae causae in specie immediate essent cognitae; nam idem effectus potest esse ex causa multiplici, et eadem causa potest diversos producere effectus, ut experientia constat, e. g. effectus multiplices radiorum solis.

4. *Per exclusionem*: Qui ideis nostris non obiectum ipsum immediate percipi posse putabant, ii vel cum Scepticis antiquis et recentioribus, cum Hume et Kant omnem certitudinem de rebus extra nos existentibus negabant, solam „formalem“ vel subiectivam veritatem admittentes, vel cum Fichte, Hegel, eorumque fautoribus Schopenhauer, Schuppe etc. mentem ex se universum producere arbitrantur, vel cum Platone, Cartesio, Leibnitzio, Malebranche, Berkeley ideas et sensationes nobis inditas et innatas, vel harmoniam quandam inter sensationes et ideas mere extrinsece praestabilitam statuebant, vel cum Pantheistis (Spinoza, Schelling) et Ontologistis (Gioberti, Rosmini etc.) ex immediata Dei vel entis absoluti intuitionem vel evolutionem ideas repetebant, vel tandem cum schola scotica (Reid, Iacobi, Gratry, Royer-Collard, Jouffroy) ad instinctum quendam seu fidem naturalem, vel cum Traditionalistis (Huetius, Bonnetty, Bonald, Lammenais) ad consensum hominum et Dei revelationem vel cum recentioribus ad conclusionem sive consciam sive inconsciam<sup>1)</sup> confugiebant. *Atqui* omnia haec systemata, ut postea ostendetur, non possunt explicare, quomodo ideae oriantur, quomodo cognitionem certam obiectivam acquiramus, neque criterium veritatis sufficiens suppeditant. Ergo non restat, uisi ut dicamus, nos *per* species intelligibiles sive conceptus nostros immediate res ipsas attingere, ac proinde ideas vel species esse medium *quo*, non *quod* cognitionis directae.

I. *Coroll.*: Adversarii in hoc potissimum errant, quod non satis distinguunt inter cognitionem directam et reflexam, vel non animadvertunt, cognitionem nostram ex natura sua non esse affectionem mere subiectivam, sed primario repraesentativam<sup>2)</sup>, ita ut mens primo feratur in obiectum cognoscendum, secundo vero et indirecte (in actu exercito) per conscientiam simul percipiat eundem actum cognoscendi tanquam propriam suimetipsius

<sup>1)</sup> Cfr. E. Fischer, Grundfragen der Erkenntnistheorie, 1887, p. 392 sq.; Al. Schmid, Erkenntnistheorie, II, 134 sq. <sup>2)</sup> Quod recte advertit R. Seydel (Zeitschr. f. Philos. u. philos. Kritik, 1889, I, 1): „Kant, Lange, überhaupt jede Gestalt des Subjektivismus, Skepticismus, Empirismus müssen wir eines und desselben Grundirrtums zeihen: das ist die erkenntnis-theoretische Verwechslung der psychischen Erkenntnisfunktion mit dem Erkenntnisinhalte. Weil die Erkenntnisfunktion immer ein subjektives, psychisches Ereignis ist, soll auch der von ihr erfasste Inhalt niemals über die Sphäre des subjektiv Psychischen hinausführen . . . Unsere Erkenntnisfunktionen, unsere Vorstellungen und Gedanken, können aber ihrem Inhalte nach etwas ganz anderes bedeuten, als was sie ihrer psychischen Existenz nach sind.“ Similiter sentit Überweg, System der Logik<sup>4</sup>, p. 68 sq.

affectionem. Actus igitur cognitionis directae praeter perceptionem obiecti semper admixtam habet aliquam reflexionem, licet imperfectam (conscientiam), qua nobis simul consci sumus, nos intelligere hoc vel illud obiectum; alias nulla posset esse reflexio subsequens in actum cognitionis directae.

II. Cum cognitio per sensus sit cognitio directa, patet eam semper et ex natura sua percipere immediate ipsa obiecta sensibilia; alioquin nulla posset esse cognitio obiectiva, quia intellectus obiectum suum non nisi in et cum sensatione immediate percipit.

*Obi. 1:* Si res ipsae essent obiectum primum cognitionis, mens deberet egredi ex se ad eas cognoscendas; dist.: intentionaliter (virtualiter) — conc., physice — nego.

Atqui hoc repugnat; dist.: repugnat, intellectum physice egredi — conc.; intentionaliter — nego.<sup>1)</sup>

Ergo res ipsae non possunt esse obiectum primum cognitionis nostrae; — nego consequens et consequentiam.

2. Atqui neque physice neque intentionaliter mens egreditur; nam obiectum cognitionis debet esse in intellectu; dist.: obiectum formale *quo* — conc.; obiectum materiale; subd.: in cognitione reflexa — conc.; in cognitione directa — nego.

Atqui in intellectu non est nisi species intelligibilis — transeat.

Ergo species expressa est obiectum cognitionis, ac proinde mens nullo modo egreditur; dist.: ut percipiat obiectum formale *quo* — conc., sed nego suppositum, hoc esse obiectum primum cognitionis; ut percipiat obiectum materiale subd.: in cognitione reflexa — conc., in cognitione directa — nego.

3. Atqui etiam in cognitione directa species est obiectum *quod* primum cognitionis; nam:

Quod intellectus percipit, aut est in ipso aut extra ipsum, i. e. in re; nego disiunctionem et addo tertium membrum: aut in utroque simul.

<sup>1)</sup> Haec difficultas communis est omnibus Idealistis: „Man kann ausser sich nicht empfinden, sondern nur *in sich selbst*, und das ganze Bewusstsein liefert daher nichts als lediglich unsere eigenen Bestimmungen.“ Kant, Kritik der reinen Vernunft. „Das Bewusstsein geht nie über sich selbst hinaus. Darum bist du selbst das Ding an sich, und der Gedanke von einem Ding, das an sich unabhängig von irgend einem Vorstellungsvermögen Existenz und gewisse Beschaffenheiten haben soll, ist eine Grille, ein Traum, ein Nichtgedanke.“ Gottl. Fichte. „Die materielle Welt . . . ist das Gespinnst unseres eigenen Intellectes, gesponnen in den ihm eigentümlichen Formen: Causalität, Raum, Zeit.“ A. Fick, Welt als Vorstellung, 1870. „Der feste, unerschütterliche Augpunkt des Geistes ruht nur auf sich; unmittelbar weiss er allein von seinen Zuständen.“ Herm. Fichte, Theistische Weltansicht, 1873. Plura vide Pesch, Log. I, 93 sq. Neque E. v. Hartmann, quamvis Kantiorum Idealismum transcendentalem impugnet et „Realismum transcendentalem“ statuatur, aliter sentit (cfr. Drews, E. v. Hartmanns philosoph. System, 1902, p. 121). Wundt autem hanc Idealistarum difficultatem reicit, vocans maximum philosophorum praeiudicium: „Diese Meinung dürfte jedoch als eines der grössten Vorurteile zu betrachten sein, unter denen die Philosophie zu leiden gehabt hat.“ (Logik, 1880, I, 383).

Atqui non potest esse extra ipsum; dist.: *id quod* percipit sive obiectum form. *quod* — nego; *modus quo* percipit sive obiectum form. *quo* — conc. Ergo obiectum cognitionis est in ipso sc. eius species — nego.)

### § 3. Subiectum veritatis sive veritas subiective considerata.

Cum veritas concipi non possit, nisi ratione intellectus, sicut bonitas non nisi ratione voluntatis, constat, subiectum veritatis proprium et per se esse intellectum et quidem primario intellectum divinum, ad cuius ideas exemplares omnes res effectae sunt. Secundario vero subiectum veritatis est intellectus humanus, qui cognoscens in rebus ideas Dei exemplares iisdem conformis efficitur. (Analogica vero ratione etiam res ipsae cognitae subiectum veritatis vocari possunt, in quantum sunt causa obiectiva materialis cognitionum nostrarum ac proinde veritatis logicae, sensu autem proprio vocantur obiectum cognitionis. Si ergo nullus intellectus, ne divinus quidem, existeret, nulla prorsus esset veritas.<sup>1)</sup> Veritas igitur subiectiva invenitur in intellectu tanquam in causa sua principali, in actibus vero intellectus, quibus actu veritatem attingit, tanquam in causis suis instrumentalibus. Hi actus vero sunt simplex apprehensio et iudicium; syllogismus enim ad iudicia reducitur.)

*Thesis III: In simplici apprehensione veritas logica vere et proprie inest, non tamen perfecte; falsitas autem per se inesse non potest.*

*St. qu. 1<sup>o</sup>. Simplex apprehensio est illa operatio, qua mens obiectum sibi praesens sistit, quin quidquam affirmetur vel negetur; unde eius terminus est idea, quae distinguitur primitiva et factitia. Est primitiva, si oritur obiecto ipso praesente et determinante per sensus nostros; est factitia, si formata est ex ideis primitivis. Quaeritur igitur, in qua idea inveniatur veritas. Iam vero cum omnes ideae supponant primitivas et ex eis efformentur, primario quaestio est de idea primitiva, secundo de aliis.*

*2<sup>o</sup> Veritatem logicam vidimus esse conformationem intellectus cum re cognita; (vere sive proprie adest, si illa conformatio actui per se inest, non ratione alterius. Perfecte inest veritas logica, si tanta est, quanta pro statu cognoscentis esse potest. Potest enim illa conformatio inter intellectum et rem subiective sive inhaesive adesse, quin cognoscatur, sicut similitudo obiecti est in speculo; potest etiam obiective adesse, ita ut eam adesse etiam cognoscatur.) Perfecte igitur veritas logica actui inest, si conformitas mentis cum obiecto adest et adesse cognoscitur; imperfecte, si conformitas adest, non autem adesse cognoscitur.*

<sup>1)</sup> Cfr. S. Th. S. Theol. I, qu. 16 a. 1.

3<sup>o</sup> *Falsitas logica* consistit in deformitate inter intellectum et rem; (haec est *negativa*, si cognitio non omnia exprimit, quae in re sunt; *positiva*, si quid rei tribuit, quod ei non convenit.)

Non loquimur in thesi de falsitate negativa, quae in omni cognitione nostra invenitur; sed de falsitate *positiva*. Haec vero iterum potest esse *perfecta* et *imperfecta*: illa obiecto materiali tribuit, quod ei non convenit, unde est subiective et obiective falsa; haec vero obiecto materiali nil tribuit, nil negat, sed solum est subiective vel inhaesive falsa, et est vel effectus vel causa materialis falsi iudicii. Unde affirmamus primo, in *nulla* idea inesse falsitatem positivam perfectam; secundo, in idea *primitiva* ne imperfectam quidem per se inesse posse falsitatem.)

4<sup>o</sup> Refutamus et *Idealistas* censes in ideis nostris non inesse nisi veritatem formalem i. e. mere subiectivam, si quidem obiectum cognitionis nostrae esse ipsam nostram affectionem statuunt; porro *Scepticos* negantes omnem veritatem certam in cognitione nostra; tandem illos, qui cum Fichte, Hegel, Schopenhauer etc. arbitrantur, mentem cogitando ipsa obiecta producere, ita ut, si vera haec esset sententia, nulla in cognitione nostra adesse posset falsitas.

### I. In simplici apprehensione inest veritas.

Prob. 1. (Ex *definitione apprehensionis*: Veritas logica consistit in conformitate mentis cum obiecto; nam, ut supra ostendimus, consistit formaliter in quadam imagine spirituali, quam intellectus ab obiecto determinatus in se producit. *Atqui* simplex apprehensio est illa operatio, qua mens ab obiecto ipso praesente determinata ideam primitivam producit, qua obiectum in se exprimit et ei conformis fit. *Ergo* in simplici apprehensione inest veritas logica.)

2. *Ex eius origine*: Simplex apprehensio ita oritur, ut obiectum mentem sive per se sive per sensus determinet. *Atqui* obiectum mentem determinans, quae est facultas necessaria, necessario eam sibi reddit conformem, quemadmodum obiectum in speculo normali ita apparet sicuti est. *Ergo* . . .

3. *Ex absurdis*: Nisi in simplici apprehensione veritas saltem subiective inesset, in nullo actu mentis esse posset; nam omnes alii actus supponunt simplicem apprehensionem conceptusque per eam formatos. *Ergo* . . .

### II. In simplici apprehensione veritas proprie et formaliter inest.

Prob. *Ex natura simplicis apprehensionis*: Veritas logica proprie et formaliter inest actui, qui obiectum per propriam speciem, non ratione alterius, vel modo analogico repraesentat. *Atqui* simplex

apprehensio exhibet obiectum per propriam speciem, non ratione alterius, neque analogice exhibet; nam a) directe illud percipit; b) est prima mentis operatio, (unde alias omnes praecedat; c) ut per apprehensionem obiectum cognoscamus, non oportet aliarum rerum cognitionem adhibere, sicut sanitas medicinae non concipitur, nisi per sanitatem corporis.) *Ergo* simplex apprehensio formaliter et proprie est vera. d) Quodsi veritas in simplici apprehensione non proprie inesset, in nullo actu inveniri posset, quia alii actus mentis supponant illam.

### III. Neque per se falsa esse potest.

Prob. 1. *Ex conceptu falsitatis*: Ut falsitas positiva, perfecta adesset in apprehensione, requireretur, ut obiecto materiali aliquid tribueret, quod ei non convenit. *Atqui* simplex apprehensio neque negat neque affirmat quidquam. *Ergo* positive falsa esse non potest.

(Hoc argumentum per se ostendit, in nulla idea, etiamsi orta est ex falso iudicio, esse falsitatem *positivam perfectam*, quia nulla idea per se tribuitur obiecto materiali; neque inesse falsitatem *plenam et perfectam*, quae in solo est iudicio; non autem probat, nullam ne imperfectam (inchoativam, inhaesivam) quidem rationem falsitatis inesse posse, si ideae in se ipsis considerantur. Constat enim, quasdam ideas, ex iudicio falso ortas, esse saltem inhaesive, logice falsas et causam falsi iudicii subsequentis, sicut speculum concavum vel convexum non recte imaginem rei reddit, licet hae ideae *ontologice* sint verae, i. e. veri sint in se actus cognoscendi. — Unde speciali argumento ostendendum est, saltem in ideis primitivis non posse esse ne imperfectam i. e. inhaesivam quidem falsitatem logicam sive per se sive per accidens.)

2. *Ex natura simplicis apprehensionis in specie*: Simplex apprehensio, qua idea primitiva formatur, est prima mentis operatio. *Atqui* haec non potest esse falsa: a) *ratione originis*: determinatur enim ab ipso obiecto, quod non potest alio modo determinare atque ipsum est; intellectus autem tanquam facultas necessaria non potest alio modo percipere ac determinatur, sicut speculum obiectum, cuius imaginem refert, non alio modo repraesentare potest, quo ipsi praesentatur. Intellectus vero noster quasi speculum est totius mundi a Deo ipso efformatum ad omnes res creatas, immo ipsum Deum repraesentandum.

b) *Ex absurdis*: Si enim simplex apprehensio falleret, *natura ipsa* nos deciperet, et quidem *necessario et invincibiliter*, neque ulla veritas *certa* in mente nostra inveniretur, siquidem simplex apprehensio est prima operatio mentis omniumque fundamentum; ex primitivis enim ideis aliae omnes derivantur et formantur. *Atqui* hoc repugnat; natura enim verax est et perfecta neque in necessariis deficere potest. *Ergo* speculum mentis, quod est intellectus, debet recte mundum reflectere, non vero decipere, sicut homines arte decipiunt speculo convexo vel concavo adhibito.)

IV. *Non tamen perfecta ratio veritatis inest in simplici apprehensione.*

Prob. 1. *Ex conceptu veritatis perfectae*: Perfecta veritas inest actui mentis, si eius conformatio cum obiecto materiali non solum *inhaesive*, sed etiam *obiective* adest. *Atqui* in simplici apprehensione non adest obiective; neque enim adhuc iudicamus, cognitionem nostram rei esse conformem. Ergo . . .

2. *Ex effectu veritatis perfectae*: Ubi est perfecta ratio veritatis, adest quies mentis. *Atqui* in simplici apprehensione mens non quiescit; nam naturae inclinatione ad iudicandum fertur. Ergo in simplici apprehensione non invenitur perfecta ratio veritatis.

3. *Ex signo veritatis perfectae*: Verbum est signum conceptus. *Atqui* solo verbo, signo ideae, prolato, advertimus quidem, loquentem habere conceptum aliquem in mente, nescimus tamen, quid velit significare, quod quaerendo investigare cupimus. Ergo . . .

*Coroll.*: I. Idem dicendum est de sensatione, in qua secundum triplex eius obiectum assimilatio cum obiecto per se (sensibile proprium) vel per consequens (sensibile commune) vel per accidens (sensibile per accidens) invenitur (vide S. Thom. S. Th. I. qu., 17, a. 2.)

II. Si igitur falsitas in conceptibus invenitur, non inest per se positiva et perfecta, sed per *accidens* et quidem per iudicium triplici modo adesse potest:

1. *Praesuppositivè*, i. e. ex iudicio *praecedente* in ideis factitiis discursivis, quae ex falso iudicio vel ratiocinio ortae sunt, et iterum saltem causa materialis iudicii falsi subsequenter esse possunt, e. g. anima materialis.

2. *Occasionaliter*, per iudicium *subsequens*, quando simplex apprehensio est occasio seu causa falsi iudicii; e. g. baculus in aqua fractus; sol circueiens terram; aër non gravis. Perceptio illa per se est vera; immo obiectum secundum leges naturae (fractio lucis, motus) debet ita percipi; sed mens iudicans errat, non attendens ad obiecti circumstantias.

3. *Abusive*, per iudicium concomitans, si simplex apprehensio propter similitudinem obiectorum cum iudicio *concomitante* confunditur, e. g. aurum cum aurichalco (Cfr. S. Thom. S. Theol. I, qu. 85, a. 6).

III. S. Thom. (S. Theol. I, qu. 16, a. 2 et c. gent. I, 59) negat in apprehensione („incomplexo“) esse veritatem vel falsitatem, quia supponit veritatem in statu perfecto i. e. inhaesivam simul et obiectivam.

*Obi.*: contra I et II partem thesis:

1. Veritas est in conformitate inter mentem et rem, quae in simplici apprehensione esse nequit; dist.: illa conformitas est materialis, quemadmodum aliqui veteres philosophi, Empedocles, Atomistae, et aliqui recentiores ut Phaenomenalistae et Idealistae e. g. Schuppe, Fichte, Hegel vel realistae exaggerati e. g. v. Kirchmann arbitrantur — nego; intentionalis assimilatio — conc.

2. *Atqui* neque intentionalis assimilatio admitti potest in simplici apprehensione; nam deberet fieri posse eius comparatio cum obiecto, ut certitudo

cognitionis haberi posset<sup>1)</sup>: dist. in cognitione reflexa — conc. in cognitione directa, quae est simplex apprehensio, subdist.: si species expressa esset obiectum cognitionis — conc. vel transeat; quum obiectum ipsum immediate apprehendatur — nego. — Haec obiectio, si valeret, destrueret omnem certitudinem obiectivam.

3. *Atqui* in nullo casu, sive res sive species nostra est obiectum immediatum cognitionis, potest constare de veritate simplicis apprehensionis sive ideae primitivae; nam haec veritas ideae primitivae aut probatur aut non probatur. *Atqui* si probatur, per aliam ideam probanda est et haec iterum per aliam et sic in infinitum, quod impossibile est. Si non probatur, de eius veritate non constat. Ergo in nullo casu constat de veritate ideae primitivae sive de mentis cum re conformitate. Ita iterum Sceptici.

Nego disiunctionem et addo membrum omisum: aut non indiget probatione; nam quum idea primitiva sit primus actus mentis alios omnes praecedens, ex natura sua non potest ei inesse falsitas; alioquin facultas nostra cognoscendi esset inepta et error nobis necessarius. Quare argumentum potest retorqueri: Veritas ideae primitivae aut probanda est, aut non. Si primum, esset in infinitum procedendum, quod repugnat in se et destrueret omnem veritatem. Ergo veritas ideae primitivae non est probanda, sed ex natura sua evidens est.

4. *Atqui* veritas ideae primitivae indiget probatione; secus enim aut caece admitteretur, aut mens deberet egredi ad obiectum ipsum materiale. *Atqui* primum repugnat naturae intellectus ut facultatis intelligendi, alterum est menti spirituali impossibile.

Ergo veritas ideae primitivae indiget probatione.

Resp. I<sup>o</sup>. Dist. primam partem maioris: caece admitteretur i. e. sine probatione — conc.; caece i. e. sine ratione — nego. Distinguo alteram partem: Mens deberet egredi intentionaliter — conc.; physice — nego. Idem dicendum est ad minorem.

II<sup>o</sup> Nego disiunctionem et addo tertium membrum: aut est evidens.)

*Thesis IV: Veritas logica in iudicio plene et perfecte inest.*

*St. qu.* 1<sup>o</sup> Iudicium est actus mentis duarum idearum identitatem vel affirmantis vel negantis; unde requiruntur: a) duae ideae ac proinde apprehensio simplex subiecti et praedicati; b) comparatio harum idearum, quae consistit in apprehensione *comparativa* identitatis vel diversitatis subiecti et praedicati; c) assensus in earum identitatem vel diversitatem cognitam. Iudicium considerari potest *subiective* et *obiective*; subiective est ipse actus mentis affirmantis, et sic in thesi nostra consideratur; obiective est identitas realis idearum, quae independens est a nostra cognitione, et vocatur veritas enuntiabilis.)

<sup>1)</sup> Hoc modo iam veteres sceptici: Carneades († 129 a. Chr.), Aenesidemus (80 a. Chr.), Sextus Empiricus (200 p. Chr.), porro inter recentiores Hume argumentantur.

2<sup>o</sup> Veritas perfecta requirit: a) conformitatem mentis cogitantis cum re, b) cognitionem huius conformitatis. (Iam vero haec cognitio in se reflexa potest esse in *actu exercito* (implicite) et in *actu signato* (explicite). Prior adest in omni iudicio directo, quando veritas rei in se affirmatur et simul, sed indirecte et implicite, cognoscitur, me recte intelligere: cognosco Deum esse iustum. Altera adest in iudicio reflexo, quando veritas cognitionis nostrae *directe* affirmatur, implicite vero et indirecte veritas enuntiati: Mihi conscius sum, meam de Dei iustitia cognitionem veram esse. Ad veritatem perfectam iudicii, quam defendimus, requiritur saltem et sufficit cognitio veritatis cognitionis nostrae in *actu exercito* (indirecta sive implicite), quin novus actus ponatur, uti fit in actu signato.)

3<sup>o</sup> Non affirmamus, in omni iudicio inesse plenam veritatem; iudicia enim possunt esse falsa; sed defendimus nonnisi in iudicio *plenam* veritatis rationem inveniri, et sic opponimus illud simpliciter apprehensioni.

4<sup>o</sup> Adversantur nobis Sceptici cognitionem certae veritatis negantes, necnon Idealistae subiectivi, qui duce Kant subiectivam sive formalem tantum iudiciis tribuunt veritatem, negantes cognitionem conformitatis mentis cum re percepta.

*Prob. 1. Ex natura iudicii:* Perfecta veritas tunc adest, si mens obiecto conformis est eiusque conformitas cognoscitur; haec est enim definitio veritatis perfectae. *Atqui* in iudicio adest illa conformitas mentis cum obiecto, eamque adesse simul cognoscitur. Iudicium enim in eo consistit, ut identitas duarum idearum comparatione facta percipiatur, et per hanc duplicem apprehensionem subiecti et praedicati et apprehensionem comparativam identitatis utriusque mens fit conformis obiecto; deinde illa identitas expresse affirmatur, ac per hoc mens sibi conscia est, suam perceptionem identitatis esse veram; secus enim non posset certo eam affirmare vel non esset ratio potius affirmandi quam negandi, modo certo vel probabili iudicandi. *Ergo* in iudicio perfecta invenitur veritas.

(2. *Ex effectu iudicii:* Ibi certe perfecta veritas invenitur, ubi est plena quies mentis. *Atqui* in iudicio requiescit mens identitate subiecti et praedicati cognita; neque enim maior potest esse neque desiderari conformitas inter subiectum et praedicatum quam eorum identitas, neque maior inter intellectum et rem conformitas, quam apprehensio huius identitatis et conformitatis suae. *Ergo* in iudicio est perfecta ratio veritatis.

3. *Ex signo iudicii:* Id ipsum constat, si sermonem consideramus, qui est signum iudicii. Propositione enim audita integer sensus enuntiabilis patet, neque quidquam restat de hac singulari veritate inquirendum, nisi alias inde velis deducere cognitiones.)

4. *Per exclusionem:* Nisi veritas perfecta in iudicio esset, in nullo actu mentis inveniri posset, ac proinde non haberemus certam veritatem. *Atqui* hoc et conscientiae nostrae et persuasioni hominum repugnat. *Ergo* in iudicio debet inesse perfecta veritas. — Maior facile demonstratur; constat enim ex thesi praecedenti, in simplici apprehensione non inesse plenam veritatem; syllogismus vero supponit certam et perfectam veritatem praemissarum, neque maiorem habet conclusio veritatis certitudinem quam praemissae, immo sequitur semper peiorem partem. *Ergo*, si existit plena veritas, non restat nisi ut iudicio tribuatur.

(*Obi. 1.* In iudicio non est plena veritas, 1. quia sunt multa falsa iudicia — nego suppositum.

2. Saltem in iudiciis negativis non est conformitas; dist.: non est conformitas vel potius identitas inter subiectum et praedicatum — conc., inter mentem et enuntiatum — nego.

3. *Atqui* in nullo iudicio est conformitas, quia affirmatur identitas, mens vero non fit identica obiecto; dist.: affirmatur vel negatur identitas subiecti et praedicati — conc., mentis cognoscentis et obiecti cogniti — nego; confunditur iudicium subiective et obiective spectatum; mens enim cognoscendo fit similis, non identica rei cognitae.

4. *Atqui* illa conformitas mentis saltem non cognoscitur; requiretur enim novus actus; dist.: ut perfecte, reflexe cognosceretur — conc., imperfecte — nego.)

*Thesis V:* In iudicio potest esse falsitas, non quidem per se, sed per accidens.

*St. qu. 1<sup>o</sup>* Falsitas est difformitas mentis ab obiecto, et quidem ab obiecto materiali. In eo est, ut mens obiecto aliquid affirmando tribuat, quod ei non competit, vel negando auferat, quod convenit. (Unde in thesi non attenditur falsitas negativa, quae est in cognitione imperfecta non omnia comprehendente, quae in obiecto sunt, sed *positiva*, quae aliquid de eo explicite affirmat vel negat.)

2<sup>o</sup> Haec falsitas in iudicio falso non actu cognoscitur, sicut veritas cognitionis; alioquin non esset falsa cognitio, sed error sub specie veri apparet; (secus enim mens, cuius obiectum est verum, non posset assentiri. Nunquam vero potest in assensu falso adesse evidentia veritatis, sed si bene attenditur, obscure vel confuse saltem defectus evidentiae apparebit; adest ad summum evidentia apparens, non vera.)

3<sup>o</sup> *Per se* inesset falsitas in iudicio, si iudicium ex natura sua tenderet in falsum, vel saltem aequo modo in verum et falsum, ita ut mens sese indifferentem haberet tum ad verum, tum ad falsum. *Per accidens* vero falsitas dicitur in iudicio inesse, si mens ex se quidem tendit in verum, attamen ex causa aliqua sibi extrinseca potest determinari ad falsum assensum. Unde hoc ultimum in thesi statuimus.

I. *In iudicio potest inesse falsitas.*

*Prob. 1. Ex experientia:* Constat, adesse nonnunquam falsitatem in cognitione nostra. *Atqui* haec non potest esse in simplici apprehensione, ut ostendimus thes. III, et si qua idea est logice falsa, non est nisi ex iudicio aliquo praecedente. *Ergo* debet esse in iudicio, si quidem omnes actus mentis ad simplicem apprehensionem, vel iudicium reducuntur. Syllogismus enim supponit iudicia eiusque falsitas dependet, si rectus est, a falsitate materiali antecedentis.

(2. *Ex natura iudicii:* Iudicium supponit comparationem inter subiectum et praedicatum, ut eorum vel identitas vel diversitas appareat atque affirmetur. *Atqui* in hac comparatione potest mens deficere a recta via. *Ergo* potest esse falsa affirmatio. Ac triplici potissimum modo mens in comparatione subiecti et praedicati errare potest: a) non advertens ideam subiecti vel praedicati continere aliquid falsi, si quidem ipsa iam orta est ex falso iudicio vel ratiocinio, e. g. anima extensa; b) confundendo per inadvertentiam obiecta similia, vel apprehensionem cum iudicio aliquo subsequente vel concomitante, ita ut idea primitiva sit *occasio* falsi iudicii (baculus non fractus in aqua fractus apparens); c) affirmando vel negando per influxum voluntatis, priusquam identitas vel diversitas idearum *evidenter* apparuit.)

II. *In iudicio falsitas non potest inesse per se.*

*Prob. 1. Ex natura intellectus:* Obiectum formale intellectus est verum; nam omnis facultas habet obiectum formale, sub quo omnia attingit, non autem aliud obiectum formale intellectus excogitari potest praeter verum. *Atqui* omnis actus requirit, ut esse possit, obiectum formale, sicut non potest esse actus videndi, nisi adsit ratio coloris. *Ergo* omnis actus mentis requirit rationem veri. — Neque licet obicere: tunc non posset esse falsitas in iudicio; nam non requiritur, ut verum actu semper adsit, sed ut saltem appareat, sicut nonnunquam per accidens (e. g. pressione mechanica, vel hallucinatione) color apparet oculo mere subiective, quin res colorata adsit.

(2. *Ex origine iudicii:* Iudicium, si rationabile est oritur ex apprehensione tum simplici tum comparativa subiecti et praedicati. *Atqui* in apprehensione simplici vel comparativa per se non inest falsitas, si quidem obiectum ipsum manifeste apparens mentem determinat. *Ergo* neque in iudicio per se inest falsitas, si nil affirmetur, quod non apprehensum sit.

3. *Ex absurdo:* Si mens iudicando *per se* posset errare, non iam de perfecta veritate securi essemus; nam veritas perfecta non

est, nisi in iudicio. *Atqui* dubium universale repugnat et naturae intellectus et experientiae propriae aliorumque et consensui hominum. *Ergo* mens iudicando per se errare non potest.)

III. *Falsitas in iudicio per accidens inesse potest.*

*Prob. 1. Per exclusionem:* Probavimus, falsitatem in iudicio *per se* inesse non posse; aliunde constat, nonnunquam falsitatem in iudicio revera inesse. *Ergo* non restat, nisi ut *per accidens*, i. e. ex causa menti extranea oriatur.

(2. *Ex experientia:* Causae vero falsi assensus sunt: A. *extrinsecae:* magisterium, si homines non recta vel non recte docentur (e. g. in historia), et est fons errorum, pro dolor! uberrimus<sup>1)</sup>; B. *intrinsecae*, et quidem a) *remotae:* debilitas mentis iudicantis, quae saepe imbuta est falsis opinionibus ideisque praeconceptis, vel ex sensatione, imaginatione, appetitu sensibili, falso iudicio praecedente; b) *proximae:* defectus attentionis debitae in ideis comparandis vel propter difficultatem rei (e. g. error veterum: solem circuire terram), vel propter levitatem iudicantis (e. g. discipuli non advertentis, distracti vel in superficie semper haerentis); c) *formalis* vel potius *moralis:* voluntas, quae assensum firmum in re dubia vel solum probabili imperat. Nam intellectus, quum sit facultas necessaria, eget determinatione, ut adsit certus assensus. *Atqui* quotiescunque veritas ipsa certa et evidens non apparet, non potest intellectus determinari ad assensum certum; in iudicio autem falso veritas certa et evidens ipsa non adest. *Ergo* intellectus tunc ex se sive ab obiecto non potest determinari ad assensum. Si ergo assensum praestat firmum in re falsa, non restat, nisi ut sit determinatus a voluntate.

Neve dicas, voluntatem non posse determinare assensum intellectus nisi rationibus propositis. Verum est, saltem speciem veri requiri ad assensum intellectus. Iam vero voluntas duplici modo intellectum determinare potest: a) *indirecte*, movendo ipsum, ut avertat intuitum a rationibus, quae oppositum vel suadent vel evincunt, vel ut convertat se ad rationes illud quod voluntati placet aliquo modo, saltem ad speciem, probantes; b) *directe*, imperando ex impatientia vel passione assensum firmum, quando non adsunt nisi rationes probabiles: Sic volo, sic iubeo; stet pro ratione voluntas.<sup>2)</sup> Patet igitur, assensum firmum intellectus, si errori adhaeret, non posse esse, nisi a voluntate imperatum.<sup>3)</sup> Voluntati enim aliae mentis nostrae facultates subsunt.

*Coroll.:* I. Unde homines qui passione aliqua abripiuntur, vel abhorrent a laboribus vel sacrificiis (lucrum cessans, damnum emergens) cum veritate connexis, rationibus probabilibus sibi ipsis persuadere conantur, se recte facere, licet conscientia saepe remordeat et obscura quaedam semper adsit

<sup>1)</sup> Cfr. Ciceronem Tuscul. III. 1. <sup>2)</sup> Iuvenalis, satira, 6, 223. <sup>3)</sup> Cfr. S. August. de vera religione, c. 3; de doctrina christiana I, 10 et alibi.